Enarratio

Casus cuiusdam singularis chi-
rurgici

Annotationes rariorum memoratuque dignorum casuum eorumque divulgationes et Medecinae et Chirurgiae maximo usui et emolumento esse, eorumque ope multis obscuris intricatis et incertis, utrisque in artibus satis satisque latitantibus, lucem clariorem accendi, eaque corrigi posse, veritas est, quam experientia multa iam iam per secula confirmavit atque probavit. Itae atter, si illarum presentem cum sta-

tu

lu temporum antiquiorum comparas, ad perfectionis admirandum gradum pervenerunt, omnique tempore insigniter quamplurimis subsidiis sese mutaverunt, verum enim vero nemo, ut credo, negare potest, et in Medecina et in Chirurgia tantum caliginis, tantum superflui, quinimmo, proh dolor! tantum contradictionis inveniri, ut uniuscujusque harum scientiarum tyronis vicem merito doleam. Hac ex caussa esset optandum, ut omnes Medici sic dicti Practici rarissimas notatuque dignissimas morborum historias in praxi eorum oblatas publici facerent iuris sincere, solide, accurate, exacte. Hoc vero rarius accidit. Hanc ob caussam multa utilia, rara

ac

ac memorabilia negligi atque abscondi certius, quam quod certissimum est. Quantam, quaeso, utilitatem afferret, si Medici cuiuslibet urbis in tanta con= cordia, tantaque familiaritate viverent, tantisque amicitiae vinculis essent con= juncti, ut praecipuas aegrotantium hi= storias remediaque adhibita inter se com= municarent, hasque collectas literis tra= derent? Sed perpaucas reperies urbes, in qui= bus haec laudabilis concordia, haec egregia coniunctio, quae toto generi humano commo= dum felicitatemque afferret, condita sit, et Medici tali inter se copula tenerentur. Non= ne invidia, nonne livor (pudet fateri) talem laude dignam concordiam saepe impe= dit,

dit, retardat, dispellit? Nonne simultas eo cum Medico geritur, qui vel ratione quarundam virtutum ingeniique dotum, ceteris negatarum, vel ratione maioris famae et applausus, quem prae aliis acquirit, vel ratione aliarum rerum, quibus ceteri egent, ab omnibus praefertur, ceterisque excellit? Sed de his satis.

Ego arbitror, nos viam quam maxime reclam, si haec, quae supra proposui, ubique implerentur, ad puriorem sic dictam Theoriam, melioremque Materiam medicam facillime sternere posse, etenim illa est, ut mea fert opinio, adhuc imperfecta, dubia, manca, haec ambigua, spurca, incondita.

De

De utilitate harum annotationum et historiarum convictus atque persuasus, in proprium commodum et delectamentum paulatim tales aegrotantium et morborum historias, in quibus singulare quid adfuit, quaeque in praxi mea sese obtulerunt, annotavi et collegi. Ex his in praesentiarum unum tantum casum, qui mihi Hamburgi Anno 1752 tunctemporis apud patrem meum, Chirurgum militum huius urbis praesidiariorum primarium, commoranti contigit, depromam atque enarrabo.

Vir iuvenis rusticus ex oppidulo Bergedorffii, ad Hamburgenses et Lubecenses pertinente, triginta circiter annos natus, cor-

po-

ris satis spongiosi, ex febre intermittente ter:
tiana, male a medicastris tractata, in initio
tumorem non adeo durum in brachio si:
nistro non procul a capite ossis humeri in
media fere parte musculi deltoidis sentit.
Huic tumori varia applicat remedia do:
mestica, quorum post usum in ulcus dege:
nerat, ex quo longum pertempus materia
largiter fluit purulenta. Aegrotus hoc ulcus
suorum remediorum ope mundificare et con:
solidare allaborat, quo sub studio quaque
spe nonnullos praeterlabuntur annos. Tan:
dem in extrema huius ossis parte supra utros:
que eiusdem condylos duo foraminula sese
ostenderunt, ichorem quam maxime foetidum

sa-

saniemque flavi coloris ploracitiae. Hoc in statu sibi auxilium petit meum.

In superiori brachii parte infra caput ossis humeri oblongam aperturam, callis ubique obsessam, colorem lividum ostendentem, putidumque odorem spargentem, reperi. Hac probe examinata, sinus nonnullos adesse, eorque in unum canalem ad aperturas, quae non procul a condylis adfuisse dixi, concurrere, ipsumque os iamiam a carie exesum esse inveni. Adhibui injectiones adpropriatas aliaque remedia, quae Chirurgia rationalis suppeditat, interneque praemissis praemittendis inter alia praecipue corticem Chinae ei porrexi, strictissimamque praescripsi diaetam. Distantia loci caussa fuit, ut ipse aegrotus me-

medicamenta externa propria manu quotidie imponere debuerit, et bis tantum in hebdomade ad me venerit. Praedictorum usum remediorum per aliquod tempus sine intervallo continuavi, sed absque usu, quem speraveram. Omnibus licet auxiliis adhibitis atque tentatis, exfoliationem ossis, carie exesi, efficere non potui, potius omnia immutata steterint, praeterquam quod materia effluens in meliorem notam et consistentiam rediret. Praeterlapsis nonnullis mensibus aegrotus, gaudio voluptateque plenus, se, os ex ulcere superiori prominens videntem, forcipe quadam magno cum labore multisque agitationibus absque tamen ullo dolore prorsus etraxisse, mihi narravit.

Os

Os ipsum extractum ostendit, quod hucus=
que sancte asservavi, iam vero Vobis, Viri
Illustres, Doctissimi et Experientissimi
maxima cum reverentia pietateque offero.
Ex hujus ossis longitudine concludi licet,
(: aegrotus ipse parva erat statura :) non procul
a condylis esse abruptum. Altera pars, quae
ad truncum spectat, ut videmus, a carie ple=
narie exesa est, ita ut frustula minima, si
eam tangis, elabuntur, altera vero sana est.
Aegrotum omnes motus cum hoc brachio sine
ullo incommodo exercere, idque adeo ad ca=
put movere posse maxime admiratus sum, et
tamen quinque tantum dies post eius extracti=
onem erant praeterlapsi. Tactum distincte
secundum brachii longitudinem percipere
po=

potui, corpus quoddam durum locum extra-
cti ossis iamiam occupasse, ita ut nullus di-
cere potuisset, os naturale abesse, quod non
minorem admirationem mihi iniecit. Usum
corticis Chinae, conjunctis laxantibus, conti-
nuavi, ex quo brevi tempore aegrotus convalu-
it perfectissime.

Hunc enarratum casum omni esse dignum attentione quis est, qui negat, cum illo inter alia docemur naturam, sive vires corporis nostri internas vitales, interdum machinae nostrae destructas atque deperditas totas partes restaurare posse. Motus istos voluntarios, quos aegrotus, ut dixi, libere exercere poterat, clare probant, loco extracti ossis osseam substantiam, postea tandem in os verum sese mutandam, id quod etiam tactus, ut monui, comprobavit,

iam-

iam adfuisse, nam ad motus huiusce modi necessario requiritur, ut musculi ad corpus durum, saltem illis durius, adfixi sint. Regenerationem novi huius ossis, tam celerrime factam, insertionem musculorum brachium motoriorum, et in genere omnia illa, quae nostrae meditationi et admirationi hoc in casu obveniunt, non audeo exponere atque enucleare; si enim auderem, obscura cum obscuris enodarem, talesque enodationes mihi et fortasse quoque aliis minus placent, novasque hypotheses, quarum fictionibus ad hunc laborem vix indigere possem, aegerrime struo. Sat meliusque erit, dicere, naturam, cui nihil impossibile est, miraculosum et singulare quid fecisse. Mens nostra, limitibus arctis circumscripta, vitium committit,

si

si omnia, quae fiunt, explicare vult, et si hoc facere conamur, homines nos esse immemores sumus. Penetralia naturae non perlustrat mens nostra.

Cortex Chinae, divinum illud remedium, in hoc quoque casu praestantissimam tulit opem. Superfluum esset, hic laudi eius aliquid adiungere, cum eruditissimus Werlhofius in aureo suo libello de febribus aliique omnia, quae dicenda erant, exhauserint, quorum veritatem satis satisque comprobat quotidiana experientia. Nil reliquum est, quam ut hanc corticem recto iustoque tempore in salutem aegrorum, quicquid etiam hujus remedii hostes nugentur, prudenter adhibere, hosque viros

i=

imitari summo studio curaque maxima in=
vigilemus atque contendamus.

Scripsi Numburgi ad Salam.
Die X. Mens. Dec. MDCCLXV.

Fridericus Augustus Weiz.
Medecinæ et Chirurgiae Doctor
et Physicus Electoral. Saxon.
Provincialis.